A. D. 1905.

CURRENDA V.

SACRI ORDINES MAJORES.

Die 17 Junii a. c. promovebimus ad Diaconatum et die 29 Junii a. c. ad S. Presbyteratus Ordinem sequentes Seminarii Nostri alumnos et Subdiaconos:

Sigismundum **Gacek** — Michaelem **Grotowski** — Josephum **Kloch** — Joannem **Łata** — Stanislaum **Nowak** — Michaelem **Pawlus**, — Joannem **Sliwka**.

Quorum nomina et cognomina ex ambone populo fideli ad Sacra congregato proxima Dominica publicentur et piis orationibus fervide commendentur.

REKOLEKCYE KAPŁAŃSKIE

w Kollegium OO. Jezuitów w Nowym Sączu pod przewodnictwem ks. Alfreda Wróblewskiego T. Jez. rozpoczną się dnia 10. lipca br. wieczorem a trwać będą do 14 lipca.

Zawiadamiając o tem polecamy, aby kapłani pragnący wziąć udział w tych ćwiczeniach duchownych zgłosili się bezpośrednio do Przew. O. Stanisława Siarkowskiego, Rektora Kollegium *na kilka dni* przed ich rozpoczęciem, by z powodu braku miejsca nie doznali zawodu nieprzyjęcia.

L. 2781.

WEZWANIE DO SKŁADEK.

W Ochotnicy górnej okazuje się niezbędna potrzeba nowego kościoła. Ludność tamtejsza zabrała się ochoczo do przeprowadzenia tego dzieła, składa grosze na ten cel, ale do jego urzeczywistnienia jeszcze daleko bardzo dla braku funduszów. By tej zbożnej sprawie dopomódz zarządzamy, by w jedną niedzielę w roku bieżącym we wszystkich kościołach Naszej Dyecezyi odbyła się na ten cel składka, którą należy do Konsystorza Biskupiego odesłać.

Diversae decisiones spectantes Decretum, ut debita sollicitudine editum a S. Congregatione Concilii die 12 Maji 1904.

De observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione (vid. Cur. II. ex 1905).

ALIPHAN. (Alife).

Beatissime Pater!

Episcopus Aliphanus humiliter petit solutionem sequentium dubiorum, quae sese referunt ad Decretum *Ut debita sollicitudine* editum a S. Congregatione Concilii die 12 Maii 1904.

I. An Missae quae ex onere perpetuo inhaerent ecclesiae, monasterio, confraternitatibus, aut locis piis quibuscumque sed in nulla ecclesia sunt constitutae, ita ut a quolibet sacerdote pro administratorum arbitrio ubivis applicari possint, accenseri debeant inter fundatas vel potius inter manuales ad effectum decreti?

II. An sacerdotes quibus a rectoribus seu administratoribus ecclesiarum committitur satisfactio unius aut plurium legatorum Missarum in ecclesia fundatorum, possint pro suo arbitrio committere earum Missarum celebrationem aliis sacerdotibus cum minori eleemosyna etiam extra ecclesiam propriam?

III. An sacerdotes fruentes cappellaniis fundatis sive ecclesiasticis sive laicalibus possint aliis sacerdotibus Missas suarum capellaniarum celebrandas commitere statuta eleemosyna pro suo arbitrio?

IV. An Episcopus possit sub censuris latae sententiae compellere sacerdotes, beneficiatos et administratores locorum piorum in fine cujuslibet anni ad sibi tradentas Missas quibus infra annum non satisfecerint, et sub iisdem poenis iisdem prohibere ne mittant extra dioecesim?

Sacra Congregatio Concilii praedictis dubiis die 19. Decembris 1904 ita respondendum censuit:

Ad I. *Habendas esse ad instar manualium.*

Ad II. *Non posse.*

Ad III. *Negative, et servandas esse dispositiones articuli XI. Decreti.*

Ad IV. *Contra transgressores articuli IV. citati Decreti Episcopum procedere posse in particulari, servatis de jure servandis, etiam cum censuris.*

Vincentius, Card. Episc. Praenestin. Praef.
G. De Lai, Secret.

Societatis SS. Salvatoris.

Beatissime Pater!

P. Pancratius Pfeiffer, Procurator Generalis Societatis Divini Salvatoris, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime exponit:

Societas Divini Salvatoris quotannis magnum numerum recipit S. Missarum, quibus ipsa per suos sacerdotes persolvendis impar esse solet. Hucusque Societas fruebatur privilegio, quo obligationibus Missarum persolvendarum, exceptis Missis urgentibus, infra sex menses satisfacere posset; quas vero per suos sacerdotes celebrare non poterat, eas tradere sibi liceret S. C. Visitationis Apostolicae cum stipendio reducto unius libellae, tradita quarta parte harum Missarum cum stipendiis suis integris. Cum Societas, quae indiget quam maxime auxilio amicorum et benefactorum, Missas per litteras plerumque oblatas sine gravi incommodo et damno refutare nequeat, humilis Orator enixe supplicat:

I. Ut praefata Societas etiam in posterum quasvis Missas accipere possit, etiam si praevideat futurum esse ut per suos sacerdotes eas celebrare nequeat.

II. Ut obligationibus S. Missarum infra tres menses satisfacere possit, exceptis urgentibus et iis quas accepit statim persolvendas.

III. Ut attestatio Missarum acceptarum, licet nondum persolutarum, a Societate scripto data, Societatem ipsam ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevet.

IV. Denique supplicat idem humilis Orator ut Societas stipendiorum, Missarum partem aliquam a Sancta Sede statuendam in utilitatem Collegii Mariani Romani ejusdem Societatis retinere possit.

Die 27 Februarii 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres, vigore facultatum a SSmo Dno Nostro Pio PP. X. sibi tributarum, propositis dubiis ita respondendum censuit.

Ad I. *Affirmative, vetita tamen studiosa collectione, ita nempe ut accipere possit Missas sponte oblatas, minime vero ab Episcopis aut sacerdotibus eas quaerere.*

Ad II. *Pro gratia juxta petita.*

Ad III. *Pro Missis S. Sedi, Episcopis dioecesanis aut Superioribus Generalibus Ordinum seu Congregationum Religiosarum datis, affirmative, Pro Missis privatis sacerdotibus commissis, negative, et servetur dispositio Decreti „de Observandis“.*

Ad IV. *Pro gratia retinendi duo pro singulis centenis.*

Vincentius Card. Ep. Praenest., Praefectus. *Cajetanus De Lai*, Secretarius.

SANCTI DEODATI (Saint-Dié).

Beatissime Pater!

Episcopus S. Deodati ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit:

I) Mos invaluit in sua dioecesi ut Vicarii apud parochos in domo curiali degentes pensionem non argento exolvant, sed Missae suae quotidianae, sive lectae sive cantatae, eleemosynam parocho dimittant. Quaeritur utrum mos ille licite possit retineri.

II Vigore plurium Indultorum idem Episcopus Orator concedere potest sacerdotibus suae dioecesis facultatem recipiendi eleemosynam vel pro secunda Missa, vel pro Missis dierum festorum in Gallia suppressorum, dummodo supradicta eleemosyna pro suae dioecesis operibus piis applicetur. Porro vestigiis trium suorum antecessorum inhaerens idem Orator Episcopus concessit sacerdotibus, ut quaecumque sit eleemosynae quantitas, ad Cancellariam episcopalem non mittatur nisi eleemosyna synodalis, idest Lib. 1.50. Quaeritur an haec Episcopi concessio sit legitima.

Die 27 Februarii 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative, dummodo et quousque excessus in modo aut alius abusus non oriatur, super quo Ordinarii erit vigilare.*

Ad II. *Negative.*

Vincentius Card. Ep. Praenest, Praefectus. *Cajetanus De Lai,* Secretarius.

LEOPOLIEN.

Beatissime Pater!

Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum relate ad Decretum S. C. Concilii diei 11 Maji 1904 quoad Missas manuales, humiliter petit solutionem sequentium dubiorum:

I. An juxta art. 2 termini persolutionis statui possint: usque ad 10 Missas 1 mensis, usque ad 20 Missas 2 mensium, usque ad 40 Missas 3 mensium, usque ad 60 Missa-

4 mensium, usque ad 80 Missas 5 mensium, usque ad 100 Missas 6 mensium et ita porro pro quibuslibet 20 Missis unum mensem addendo.

II. An hi termini intelligantur seorsim quoad quemlibet stipendium offerentem, vel etiam intelligi possint cumulative quoad omnes aliqua occasione v. g. in aliqua solemnitate offerentes; ita ut si tunc stipendia offeruntur a 100 oblatoribus, a quolibet pro una Missa, omnes hae Missae in termino sex mensium persolvi debeant.

III. An in casu art. 7. pro sacerdotibus qui ab Ordinario stipendia accipiunt, termini currant non a die quo primarii offerentes stipendia dederunt, sed ex concessione Apostolicae Sedis a die quo Ordinarius ipsis stipendia tribuit.

IV. An ista stipendia, etsi primario a pluribus offerentibus data, tamen in casu art. 7 tamquam ab uno scilicet Ordinario oblato censenda sint.

V. An liceat Ordinario omnibus his Missis communem generalem intentionem (ad intentionem dantium) praescribere, etsi a primariis offerentibus speciales intentiones praescriptae fuissent,

Die 27 Februarii 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad. I. *Rem relinqui discreto judicio et conscientiae sacerdotum juxta Decretum et regulas a probatis doctoribus traditas.*

Ad II. *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, dummodo aliter non constet de voluntate oblatorum.*

Ad III. *Affirmative idest obligationem incipere a die quo sacerdotes Missas celebrandas ab Ordinario recipiunt.*

Ad IV. *Affirmative, dummodo aliter non constet de voluntate oblatorum.*

Ad V. *Episcopus curet ut qnantum fieri potest Missae a pluribus receptae, a pluribus sacerdotibus tempore debito satisfiant.*

Vincentius Cord. Ep. Praenest., Praefectus. *Cajetanus De Lai*, Secretarius.

CONGREGATIONIS SPIRITUS SANCTI.

Beatissime Pater!

Superior Generalis Congregationis a Spiritu Sancto humiliter postulat:

I. An ad art. 7 Decreti *De observandis* die 11 Maii 1904 sub nomine Ordinariorum veniant quoque Praelati Regulares pro suis respectivis subditis.

II. An Episcopi dioecesani et Praelati Regulares, qui aliis Episcopis seu Praelatis Regularibus Missas cum sua eleemosyna celebrandas tradiderint, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevati censeantur; an potius obligatione teneantur usque dum peractae celebrationis fidem sint assequuti.

Die 27 Februarii 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

Vincentius Card. Ep. Praenest., Praefectus. *Cajetanus De Lai*, Secretarius.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 11. czerwca 1905.

† LEON
BISKUP.

X. Władysław Chendyński
Kanclerz.

Nakładem Kleru dyecezalnegc. Drukiem Józefa Styrny w Tarnowie